






*In manu Domini sunt omnes fines terræ.*



*Ex Libris*  
*frank Dawson Adams*





#

D E  
**INCOMBVSTIBILI LINO,**  
S I V E  
**LAPIDE AMIANTO**

Deque illius filandi modo

**EPISTOLARIS DISSERTATIO**  
AD REVERENDISSIMVM PATREM  
**FR. BERNARDVM IOSEPHVM**  
**A I E S V M A R I A**

*Commissarium, Procuratoremque Generalem  
totius Franciscanae familie, Terra Sanctae,  
in Romana Curia.*

**IOANNIS CIAMPINI ROMANI**  
Magistri Breuum Gratiae,

A C

In vtraque Signatura Referendarij.



ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apostolicæ. CICICXCI.

SUPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Apost. Pal.

S.I. Menattus Episc. Cyren. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Franciscus Maria Forlani Reuerendiss. P. Fr.

Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Ap. Pal. Mag. Soc.

Ord. Præd.



3

RATISSIMA sunt beneficia parata, facile occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia, dixit sapientie ille fons L. Annus Seneca lib. 2. cap. 1. de Beneficijs. Inter preclaras igitur Reuerendissime Paternitatis tuę animi dotes, quibus te ornauit Altissimus, beneficiandi voluntas mirum in modum excellit, ac relucet, cuius ego testis esse possum, nam cum nulla nobiscum intercederet necessitudo, nihilominus Paternitas tua mihi roganti, ut ex Orientalibus plagiis, si quae in illis partibus sacra extarent musiva, illorum exempla transmitti curaret, meae petitioni statim arrisit, ac me inclytæ Bethlehemitanæ Ecclesiæ musivorum operum, accuratissimè delineatorum, exemplari ditauit; idque non solum per quam celerimè, verum et summam cum liberalitate præstítit, dum me ab omnibus proflus impensis, quae haud leues necessariò fuere, reddidit immunem; ac præterea meum Cimelium Sancti Sepulchri modulo, nonnullisque curiosis illarum Orientalium partium rebus auxit. Quare animo reuoluens quid facere valerem, vt Mnemosynon hoc omnibus innotesceret, cum gratus animus inter virtutes omnes laudatissimus, ac res Deo, & hominibus grata, lucunda, bonique nominis sit. Docuit enim nos mellitus Clarevallensis Abbas; In referendis gratijs virum non tardum esse debere, non segnem, sed ad singula dona gratias agere. Sanctus vero Ioannes Chrysostomus hom. 25. supra Matthæum dixit: Optimam beneficiorum custodem esse ipsam memoriam beneficiorū, ac perpetuam confessionem gratiarum. Propterea nolui à te mihi collatum beneficium sub silentio præterire, sed palam omnibus facere, & in grati animi tesserā aliquid promere. Cum igitur tuis sacris studijs etiam illa naturalis philosophiæ coniungas, propterea que à me sciscitaueris, an in Aca-

demia Physico-mathematica, quæ domi meæ iam à multis habetur annis, frustum aliquod incembustibilis lini Amianti demonstratum fuerit; tuæ huiusmodi petitioni statim respondi, non solum huiusc rei cùdem in Academia sæpius periculum fuisse factum; verum etiam eiudem lini filandi modum à quodam Amico iam me didicisse, quem publici iuris sæpe facere decreueram, sed usque ad hodiernam diem distuli, & ut curiositati tuæ pro viribus indulgerem, & linum, & frustulum, & chartam ex eadem materia confestam, tibi ostendi, & in signum deuinctio- nis meæ dono dedi. At pro maiori huius rei eruditione quidquid cùdem in Academia de ea re dissipatum fuit, & lini huiusmodi filandi modum, vix paucissimis hodie notum, tuis sub oculis ponere, tuique sub nominis auspicio palam facere decreui. Accipe igitur ea, quæ dicturus sum, hiliari, gratoque animo, tanquam à deuincto corde prouenientia.

Amiantus lapis est, sic dictus à græca voce ἀμιάντος, quæ à verbo μιάνω originem dicit, quod maculare denotat. Propositio verò à priuationis signum est, scilicet non maculare, quare Αμιάντος idem sonat, ac *immaculatus*, Fortun. Licet. de Lucernis lib. 2, cap. 14.

Ab eisdem Græcis denominatur ἀσθεσός, quod apud ipsos Calx dicitur, eò quia in igne durat, ac candorem, purificationemque in eodem, vt Calx, acquirit; idem Licet. lib. 3. cap. 27.

Nec desunt qui lapidem istum βρέγχιτην appellant à Comarū similitudine. Alij verò Poliam, siue σπαρτοπολίαν spartopoliam denominant, quia tanquam linum netur.

Latini verò linum viuum vocant, quoniam in igne minimè extinguitur; quandoque verò linum Charystium, siue Carpasium, aut Creticum denominant, à locis in quibus foditur, vt infra fusiūs demonstrabo.

5

Quando à fodinis eruitur diuersorum colorum apparet, nempe albi, subalbidi, subrubei, plumbei; quare non nulli huiusmodi coloribus inducti, Amiantum credidere idem, ac alumem plumæ esse. At à veritate se alienârunt, quoniam eosdem lapides minimè periclitati fuere, ut eadem in Academia factum fuit.

Huiusmodi lapis, qui ad meas peruenit manus, quatuor est specierum, cùm ex quatuor diuersis fodinis, diuersis in locis sitis, erutus sit.

Primus, quem mihi iam à pluribus annis transmisit bon. mem. Carolus Fabritius Iustinianus, Episcopus Marianensis in Corsica, longus est, cùm nonnulla frustula, quæ ligneam formam habent, ad dimidij, & vltra, palmi longitudinem se protendant, coloris subalbidi, ad rufum tendentis.

Alter plumbei coloris, ad argenteum appropinquans, mollior, breuiorque est, cùm in longitudine tres palmi vncias minimè excedat. Lapis eruitur iste ad Sextum Ligurię, vulgo *Sestri di Ponente*: eum dē lapidem mihi transmitti ex illo loco curauit bo. me. Ludouicus Perez Ord. Carmelit. in publico Romano Lyceo Theologiæ Lector, cùm prope fodinam eiusdem Religionis Patres Cœnobium habeant.

Tertius verò omnium infimus, veluti squammis, vna super alteram impositis, ad cepæ formam compositus est, terrei coloris in nigritudinem vergentis, intermixtis quandoque nonnullis albis superficiebus, siue delineamentis, nonnullis verò nigris, alijs subrofis, siue terreis: in longitudinem vix ad duo minuta vnciae palmi Romani pertingit, quare potius ad conficiendam chartam, quam ad nendum aptus viderur: hunc à Paternitate tua Reuerendissima accepi, quem è Cypro tibi transmissum fuisse asseruisti.

Cùm hæc exarabam superuenit R.P. Silvius Bocconus Monachus Cisterciensis, in seculo Paulus Bocconus nominatus,

tus, vir apprimè in rebus naturalibus, præsertim Botanicas, eruditus, deque Academia optimè meritus. Is mihi significauit, penes se habere Amiantum, sibi Parisijs dum degeret, traditum, è Pyrenæis montibus erutum, cuius Amianti nonnulla frustula mihi successivè misit. Amiantus iste omnibus, quos vidi, longior est, nam palnum Romanum æquat. Ab alijs verò in qualitate differt, nam eius filamenta crassiora, & asperiora sunt. Ac dum ista prælo subiiciebam, accessit Ill. & Eruditus Vir Paulus Maffei Eques S. Stephani, qui mihi retulit etiam in Volaterranis montibus ipsum reperiri Amiantum. Hæc breuiter de huiusmodi lapidis speciebus dicta sunt. Modò ad historicos, qui de illo tractarunt, descendo.

Nimis tamen à breuitatis scopo aberrarem, si quidquid omnes de huiusmodi celebri lapide scripsere, enarrare vellem, eò magis, quò magis ipsi in idem incidere punctum; quoniam ex vnico fonte hausère aquam, nempe è magno illo naturæ Indagatore Plinio Seniore, quem Lanzius orat. pro Italia meritò naturæ Bibliothecarium appellat. Laudatus igitur Plinius lib. 19. cap. 1. de Amianto sic fatatur: *Inuentum iam est, quod ignibus non absumeretur. Viuum id vocant ardentesque in focis conuiuorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis, splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicae, corporis fauillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis, adustisque Sole Indie, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuefecitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile texu propter breuitatem. Rufus de cætero color, splendescit igni. Cùm inuentum est æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem à Græcis Asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circundatam arborem, surdis iætibus, & qui non exaudiantur, cædi.* Ergo huic linea principatus in toto orbe.

Nonnulla in hac Pliniana narratione animaduertenda sunt; nam, quod sit rarum inuentu, ac in desertis, adustisque Sole Indiæ, vbi non cadunt imbræ, inter diras serpentes, ac cum inuentum fuerit æquet pretia excellentium margaritarum, huicque principatum in toto orbe tribuat; hæc Plinius æuo fortasse accommodari possent; dico fortasse, quoniam Dioscorides, qui Plinium longè præcessit lib. 5. cap. 13. narrat, Amiantum lapidem in Cypro nasci alumini scissili persimilem; & quia mollis est, ex illo telæ conficiuntur, quæ populo admirationem præbent, quoniam in igne positæ accenduntur, flammamque concipiunt, nec ob id in aliqua sui parte comburuntur, sed splendidiores euadunt. Ideo ex hoc Dioscoridis loco elicitur, non solum in India, verum etiam in alijs erui locis, unde tam rarus inuentu minimè erat, & per consequens tam excellentis pretij, vt Plinius exagerat.

In hunc Dioscoridis locum notat Matthiolus, lapidem istum non solum in igne permanere, nec suum amittere splendorem, sed si ante coquinatus fuerat, ex igne erui mundum, & splendidum; vocari Asbeston, quia in lucernis pro ellychnio inseruit, nec solum non extingui, donec gutta olei sit, verum etiam non comburi. Lapidem istum neri, peñi, & texi. Hieroclem scribere, Brachmanes Indiæ Philosophos ex eodem lapide confecisse vestes, vt propriæ diuinitatis posteris memoriam relinquerent. Subdit ex eodē lapide olim funestas etiam textas fuisse vestes, quibus Regum mortuorum cadauera amiciebantur, vt cum ipsa comburerentur, eorum cineres, ab illis lignorum distincti remanerent, vt sepulturæ tradi possent. Postea idem Matthiolus præcitatum Plinium hallucinatum fuisse redarguit, dum putat hasce telas ex quodam Indico lino confici, ac eiusdem Plinius supra enarrata refert verba, subdens, asserta à Plinio partim vera, partim fabulosa esse. Sed Matthioli pace, huiusmodi Plinius hallucinationem, siue fabulam, vt Matthiolus afferit, minimè obser-

uo, dum linum hoc ipse Plinius Asbestum vocat, quod  
 idem est, ac Amiantus, vnde quæstio de nomine appellari  
 potest; nam vox *Asbestos* græcè, inextinctus, scilicet qui  
 extingui nequit, latinè sonat; sicut dixi supra calcem deno-  
 tat, quæ in igne durat; & idem Plinius lib. 37. cap. 10.  
 scribit, Asbeston in Arcadiæ montibus nasci, colorisque  
 ferrei esse. Quæ qualitates Amianto tribui possunt, cùm  
 eundem lapidem, siue alium ab eodem non absimilem esse  
 putem, sed respectu regionum, fodinarumq; in aliqua par-  
 te inter se discrepare, vt in principio de quatuor Amian-  
 ti speciebus, apud me extantibus enarraui. Laudatus  
 Plinius etiam lib. 36. cap. 19. Amianti meminit, asserens,  
 Alumini similem esse nihilque igne deperdere. Quare  
 cùm in igne duret, vt *Asbestos*, eiusdem naturæ ipsum  
 esse fateri oportet. Cùm igitur omnes isti Scriptores ex  
 antecedentibus desumpserint Auctoriis, & præfatorum  
 lapidum species præ manibus minimè habuerint, pericu-  
 lumque de eis haud fecerint (quòd si fecissent, vtique  
 narrauissent) mirum propterea non est, si aliquâ in parte  
 lapsi fuerint, quia oculares testes haud quaquam fuere;  
 quare concludi posse mihi videtur, omnibus lapidibus, ex  
 tenuibus, ac mollibus filamentis, in igne persistentibus, à  
 natura compactis, tam Amianti, quam *Asbesti*, siue lini  
 viui, aut alterius vocis, permanentiam in igne denotan-  
 tis, nomen meritò tribui, atque aptari posse. Multa copio-  
 siori calamo collegit diligens, & eruditus Scriptor Geor-  
 gius Agricola de natura fossiliū lib. 5. vbi sic de nostro  
 lapide ait: *Sequitur Amiantus, qui quanquam ex lapide  
 calcis, & gypso non fiat, sed ex sui generis succo: tamen  
 etiā propria est natura.* Amiantus verò dictus est, quòd ignis  
 adeo non inquiet ipsius splendorem, ut etiam si in eum cony-  
 ciatur folidus, nihil deperdens, nitidus, & splendescens  
 extrahatur. Idem vocatur *Asbestos*, quòd in lucernis, (fiunt  
 enim ex eo thryallides) semel accensus non extinguatur, dum  
 aliquid olei supererit: nam ignibus non absimitur. Idem  
 quia

quia pexis mulierum crinibus similis est (etenim in eam  
 figuram formatus plerunque venditur) à Zoroastre nomi-  
 natur *Bostrychites*, quia canicie hominis, ab alijs polia, ab  
 alijs corsoides, quia sparti caniciem interdum præfert,  
*spartopolia*; quia manibus netur, & texitur, à quibusdam  
 linum: & quidem à Græcis *Asbestinum*, quod ex *Asbesto*  
 factum sit: à Plinio *vium*, quod in igne non soleat mori: à  
 Pausania *Carystium*, quod effodiatur ad *Carystum*: quia  
 denique ad alumen scissum similitudinem habet, à *Quadri-*  
*gario* alumen. Nascitur autem in Belgica ad *Namurum*: in  
*Eisfelda*, non procul ab *Ilfelda* Monasterio: in *Norici* me-  
 tallis suaci: in *Arcadiæ* montibus: ad *Carystum* *Eubœa*:  
 oppidum: in *Scythia*, in *India*, in *Aegypto*. Color ipse, vel  
 candidus, vel cinereus, vel rufus, vel ferreus. Sapore  
 differt ab alumine scisso, nam hoc astringit, *Amiantus* pa-  
 rum pungit linguam, minimè verò astringit. Quod ad fi-  
 guram attinet, *Amiantus* iam scissus capillo assimilis est,  
 qui potest scindi bacillo. Quod ad naturam pertinet, non  
 aliter ac metalla humorem habet internum, siccitatem ex-  
 ternam. Quem humorem ignis, quia potentior est eius calo-  
 re, nequit consumere: sordes ad lapidem adhaerentes, con-  
 sumere potest. Ardentes, inquit *Plinius*, in focis conuiuo-  
 rum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes,  
 igni magis, quam possent aquis. Quin ea oblita non ac-  
 cendi, obsidione Athenarum sub L. Sylla *Quadrigarius* com-  
 pertum scribit. Sed ipse, ut dixi, alumen appellat. Quomo-  
 do etiam *Strabo* videtur appellare, cum ait bitumen ardens  
 alumine restinguiri. Athenis in aurea Mineruæ lucerna-  
 quam fecit *Callimachus*, in erat thryallis ex lino *Charystia*,  
 quod *Pausanias* scriptum reliquit. Vetus igitur est. & Athe-  
 niensium exemplo multis in regionibus hodie usitatum.  
*Amianto* uti ad ellychnia. Idem lapis lauatur, pectitur, ne-  
 tur, texitur, tametsi quia breuis, difficulter: conficiuntur  
 que ex eo non solum mappa, qualis est *Rome*, sed etiam

*mantilia, quale in Saxonia Verebergi. Ex eo Brachmānes Indorum Philosophos sibi uestes confecisse Hierocles scripsit. Ex eo etiam quondam funebres Regum tunicæ fiebant, quibus induiti in rogos ardentes imponebantur; ut corporum cinis à lignorum cinere secretus, & seclusus in sepulchro condi posset. Quanquam autem Plinius scribat, hoc linum rārum inuentu esse, & cùm inuentum fuerit æquare precia excellentium margaritarum: tamen hodie, quoniam eius copia extat in metallis Norici, satis vili precio venditur.*

Progrediar modò ad differendum aliquid de lucernis perennibus, quæ ex oleo, hoc à lapide extracto, cum eiusdem lapidis ellychnio preparabantur, vt aliqui enarrant.

Ad huiusmodi indagandam veritatē iam à pluribus annis tentaui si quid oleacei humoris ex eodem lapide extracta valerem: propterea oblongam cucurbitulam vitream, bene lutatā, Amianto repleri iussi, ac apposito suo receptorio, clausisque iuncturis, ignem, seruatis gradibus, accendi feci, & nil aliud ex eodem lapide exiit, nisi paucæ humidi guttulæ, potius ex aëre, quam ex lapide, qui sicissimæ naturæ est, prouenientes. Experientiam hanc de novo reiterari mandaui, occasione, quâ eadem Paternitas tua præfatum Cyprium Amiantum ad me transmisit, qui aliquem humorē, ex aspectu, in se continere præseferbat; at incassum experientia cecidit, cùm ex eo nihil, præter tres, aut quatuor guttulas prædicti humoris exierit, qui accendi nequit; cùm aquæ substantia sit.

Vlteriū Ellychnium ex eodem lapide depurato confeci, quod immissum in oleo arsit, donec oleum, quo illinitum fuerat, durauit, quo consumpto, non obstante, quod in lucerna aliud fuisset oleum, nihilominus ipsum Ellychnium extinctum est; idque in causa esse putarem, quia particulæ lapidem componentes ita aridæ, & minutissimæ sunt, vt nullos poros inter se contineant

ad

11

ad assugendum ; attrahendumque oleum . Nam ad Solem obseruavi , habens præ manibus lapidem istum præparatum , & digitis eum frians , multas ex illo minutissimas , ac lucidas partes argentei coloris , visui vix perceptibiles , decidisse ; quare hallucinari illos puto existimantes , Ellychnia hoc ex lapide confici posse , cùm attractionis sint expertia , quod necessarium in eisdem est . Periclitatus sum etiam hunc lapidem , illum expo- niendo ignis repercussioni vitreariæ vstrinæ per tres continuaς hebdomadas , qui post præfatum tempus illæsus eua- sit , sed quid purpurei coloris contraxit .

Etiam ligneam desumpsi virgulam , quam præparato Amianti lino quaquaversum vestiui , adeòvt nullum ignis contactum sentire posset , nihilominus candefacto lino , brevi virgula in carbonem conuersa fuit .

Hinc sequitur , quòd totum id , quod exardet , con- sumitur , at Amianti ignis tormento commissi nil depe- rit , quia non ardet , neque flammam reddit , & quamuis ignitus fiat , attamen non comburitur . Consumitur nihilominus , dum eum accendendo , & contrectando , aliquā sui partem amittit , quamuis sit parvissima quantitas , quo- niam eundem tam ante , quam post , iustissimâ bilance ponderauit .

His breuiter enarratis de huius Salamandræ natura , nunc ad promissum filandi modum deuenio .

Antequam lapis iste neatur sequenti forma præparan- dus est . Accipitur , & infunditur in aquam lapis , quæ si calida sit , citius operatur , ibiq; per aliquod temporis spatiū , quod ad arbitrium est , in infusione relinquitur . Deinde manibus contrectatur , perstringitur , & dilatatur , vt ex illo quædam tenuissima exeat terra , quæ ad similitudi- nem albæ est calcis , quæque lapidis filamenta inter se coniuncta detinebat . Ex hac terra aqua densa fit , & la- tescens , quæ projeicitur , & noua superinfunditur , & ite- rū manibus dilatatur , posteà obstringitur , & premitur ,

ut ex hisce iteratis operationibus ab omni purgetur calce;  
 & hæc operatio fiet quinquies, sexies, & pluries, quia ma-  
 gis linum ab heterogeneis partibus purgatur. Successiuè  
 tota massa è vase eruitur, & ipsum purgatur vas, quia in-  
 fundo multæ heterogeneitates remanèt. Experientia plura  
 docebit. Lapidis filamenta, quæ linū appellari possunt, ex-  
 pansa ponuntur super aliquod canistrum, sive aliud simi-  
 le, ut facile aqua percolari, & facilius ipsum linum exsic-  
 cari possit.

Ex hisce quatuor Amianti speciebus meliorem inueni  
 illam ex Insula Corsica, quia longa, & mollis est, il-  
 lam verò Cypriam omnibus alijs deteriorem; quia non  
 solum omnium breuissima, sed adeò dura est, ut ante-  
 quam in aquam ad dissoluendum ponatur, ferreo pistillo  
 in mortario oporteat tundi, & nihilominus difficilè à terra  
 separatur; vndè ad nendum haud est apta.

Cogor hic ab instituta oratione aliquantis per defle-  
 ctere, Paternitatique Tuæ Reuerendissimæ sententiam  
 meam exponere. Valde quidem dubito, lapidem hunc  
 ad te ex Cypro transmissum, ex illius genere non fuisse,  
 qui nerur, sed alium, vt cumque repertum; nam de isto  
 Cyprio sic meminit Pancirolus in suis rebus memorabi-  
 libus titulo 4. *His, inquit, consenanea esse videntur,*  
*qua de Cretico lino scripsit Strabo lib. 10. Id enim petram*  
*esse ait, quam attritam, capillamentis tantùm remanen-*  
*tibus, excussa terrea materia, pectinibus aptari, contex-*  
*samque inde telam per optimè confici. Eam autem igne*  
*non vri; sed sordidatam in ignem proiectam emundari.*  
*Ipseque adeo Podocattarus Cyprus Eques, qui nostro hoc*  
*seculo de rebus Cypris An. MDLXVI. historiam prodidit,*  
*Linum Cyprium penes se habitum Venetijs ostendit, in*  
*ignem id injiciens, at illsum, ac perpurgatum, munda-*  
*tissimumque inde recipiens. Verùm illud magno est miracu-*  
*lo, quod huiusmodi contexta tela non quidem ab herbis ori-*  
*ginem ducat, sed à lapide Amianto: qui in Cypro Insula*  
*reperi-*

repertus, malleo contunditur, contusus, excussa terrea,  
 superfluitate, capillamentis suis, lini speciem retinet, ac  
 contextitur in telam. Id usum in Podocattari ædibus, co-  
 ram eximia virtutis viris, non paucis testatur Porcachius  
 tab. 2. Funeralium. Propterea ex hoc Amianto linum  
 confectum, & incombusibile, ut perpetuò lampadibus ar-  
 deret in Baptisterio suo Roma Constantinus Imperator sta-  
 tuerat, referente Damaso in Siluestro Papa. Quin & Lu-  
 douicus Viues inscholio ad D. August. lib. 21. de Ciuitate  
 Dei cap. 6. testatur se Lychnia Parisijs permulta vidisse,  
 quæ lucernis semper ardentibus nunquam absumerentur.  
 Mantile quoque Louanijs medio conuiuio igni datum, red-  
 ditumque Domino mundius, splendidiusque, quam posset  
 aquis, aut smegmatibus quibuslibet, prout literis hoc con-  
 signauit Simon Maiol. part. I. Dierum Canicul. colloqu. 20.  
 fol. 633. & seqq. His non assimilis, si non idem planè fue-  
 rit, lapis ille ad Caryustum nascens, quem incolæ pectunt,  
 nent, texunt. Inde mantilia conficiuntur egregiè contexta.  
 Ea ubi sordescunt, in flamas proiecta, non secus  
 emundantur, quam si maculas aqua elueris. Mentionem  
 huius facit Matthæus Raderus (quem dum notas hasce  
 meas recenseo, primum vidi) in commentar. ad Martial.  
 lib. 9. Epigram. 77. Meminit Cælius Rhodigin. & Ellychnij,  
 lino Carpaso constantis, & in id ignibus nullum omnino  
 ius fuisse scribit lib. 14. lect. antiq. cap. 18. circa finem.  
 Refert quoque Plinius huic lino principatum in toto orbe  
 esse: & Linteo eo circundatam arborem surdis istibus, qui  
 non exaudiantur, cædi. Hæc Pancirolus. At vnde di-  
 scesserat oratio reuertatur. Nuper dixi de modo lapi-  
 dem reducendi in linum, nunc, quam formâ illud neatur,  
 exponam.

Primo loco referam ostensum mihi modum, qui talis  
 est: pectines duo minutissimis, ac tenuissimis dentibus su-  
 mantur, ut in figura 1. & 2. ad instar illorum, quibus car-  
 minatur lana ad conficiendos pileos, sive pannos texen-  
 dos,

dos. His leuissimè carminetur linum; deinde inter ambo-  
rum pectinum extremitates ipsum linum claudatur, ita ut  
foris promineat, ipsique pectines coli vicem præsent: su-  
perponantur deinde ipsi pectines alicui mensæ, sive scam-  
no, ibique firmentur, ut figura 3. sumatur postea paruu,  
tenuisque fusus, ut figura 4. qui superiùs vncinunculū ha-  
beat, ut figura 5. & inferius verticulum, ut figura 6. ut faci-  
lè circumuolui possit, fusus subtili filo induatur; deinde vr-  
ceolum cum oleo oportet habere, ut figura 7. cum quo di-  
gitorum Indicis, & Policis interiores extremitates loco sa-  
liue, illiniantur; ad hoc, ut primo loco cutis conseruetur,  
quia Asbestinum linum corrosuum est, & excoriat; secun-  
do quia oleum ipsum linum mollius reddit, & ob id com-  
modius netur, quia facilius cum lino coniungitur. Acci-  
pitur ergo ipsum filum, & vnitur cum lino viuo, existente  
in pectinibus, & circumoluendo ipsum filum cum eodem  
lino coniungitur, quod non sine maxima patientia, ac tædio  
peragitur. Quādo igitur satis fili præfato lino vestitū fuerit,  
poterunt ex eodem formari, sive texamenta, italicè fet-  
tuicie, sive naſtri; poterit etiam teli confici; sed periculum  
de hac minimè feci. Quando hęc confecta fuerint oleo li-  
niuntur, & proieciuntur in ignem, quæ statim accenduntur.  
Ignis deuorat filum, & purum remanet amentum, sive  
tela.


Secundo loco dicā, quid in hoc nendo lino experien-  
tia, quæ rerum omnium magistra est, me docuerit; nam  
vidi, quod linum Asbestinum difficile filo vnitur, & cō  
difficilius, quod ipsum linum est breuius, vndē, loco fili,  
linum commune sumpsi, quod appositum colo, ut moris  
est, & desumptis tribus, vel quatuor filamentis lini viui,  
quæ intermixta, & inserta in filamentis lini communis in  
hisce implicantur, & circumoluendo facilius vniuntur, &  
connectuntur; vndē filum ex hisce proueniens firmius, &  
durius ad texendum euadit. Quare pectinibus vti, non est  
opus, quia potius dilacerant, ac abbreviant Amanti fila,  
quam


quam ullam praestent utilitatem, at sufficit ponere Asbestinum linum in aliquo canistro, siue mensa, illudque in parua diuidere filamenta, ad placitum, lino communi infrena. Et haec de modo nendi, nunc ad formandam chartam me confero.


Quando iste abluitur Amiantus, & à calce expurgatur, in vasis fundo quædam Amianti partes remanent, quæ omnibus alijs breuiores sunt, quæque ab alijs separantur; cùm ob illarum breuitatem ad nendum minimè sint aptæ; ex hisce igitur partibus consueto modo charta formatur.


Nunc supereft, vt aliquid breuiter exponam, quomodo Amiantus iste sic filatus, ac textus diu conseruetur; nam propter maximam eius ariditatem manibus eum contractando in tenuissimas abit partes, vt supra enarraui. Quare melius, vt conseruetur tela, siue quodcumque aliud opus ex Amianto confectum oleo illiniendum est; nam oleum lapidis conseruationi mirum in modum prodest. Ex hac igitur illinitione non solum ipsius lapidis deducitur perennitas; verum etiam quomodo lapidis incombustibilitas demonstretur; nam facilius ipse accenditur lapis, flammaque attollitur, duratque donec totum oleum absumatur; vnde tela illa, quæ ante accensionem olei inquinata, conspurcataque apparebat, post combustionem candida, & nitida euadit; quæ postea singulis vicibus ad conseruationem, vt dixi, illinienda est, sicque in scrinio seruanda.


Haec ego quæcumque sint in publicum, in Paternitatis tuæ Reuerendissimæ gratiam, exposui, tuoque nomini consecraui. Ea tu accipe eodem hilari vultu, bonoque animo, quo tibi dicata sunt; & me amare perge. Vale.











cas. 89  
coupl

FJ  
SAB

os/cr  
room  
TN930  
C53  
1691

161118

#54612658

